

cognouerunt, illic defyderio mentis pergere ftuduerunt. Quod autem fancti patres Chrifti aduentum in carne defyderabant, hoc non propter carnem fed propter fpiritus plenitudinem, que non nifi in carne Chrifti perficienda erat, & propter humani generis redemptionem, ac largiorem fpiritus fancti in mentem miffionem poffularunt. Caro enim nō prodeft quicquam. Spiritus eft qui uiuificat. Ioan. 6. Sicut ergo fpiritus dandus non erat in plenitudine gratiarū ante Chrifti afcēfionē fecūdū literā ita myfticē non datur inuifibiliter manente confoiatione uifibili, & fenfuali. Non enim compatiuntur fe confoiatione diuina, & fenfualis, ac fecularis, ut latē declarat beatus Bern.

In nouitate uitæ profecturo confoiationes carnis funt relinquentē.

Vnde accipienda eft hæc regula. Si in nouitate uitæ profecturū volumus, & in amore Dei fortificari, oportet ut confoiationes carnis, & mundi relinquamus. Falluntur nimium, qui ut liberius carnis, & mundi voluptatibus ſeruiāt, terminum ſibi ſtatu aut in uia, putantes ſibi ſufficere, ſi maiora caueant peccata, & manifeftas tranſgreffiones, laxantes ſibi frenum ad omnes delicias non manifeſte prohibitas, dicentes ſibi illud Cancellarii parifienſis in de myſti thepra. cap. 4. Nolo merita apoſtolorum, & martyrum, nolo uolare per ſumma, incedere per planiora contentus ſum, ſufficit mihi uita communis, ſi cum inſimis ſaluari potero, ſatis eſt. Iam enim perfectio eſt nolle eſſe perfectum. Seruit huic exemplum familiare. Habet aliquis præpotens, ac nobilis filios plures induſtrioſos ad ampliandum rem domeſticam. Cæteris laborantibus vn̄ illorum uacat ocio, nihil curans dummodo non ſordide uiuat, & ſi nihil lucratur alium, uel præclarum, ſuo ingenio concedenter excogitando, dicit ſufficere ſibi habita, non curat habenda. Euocat eum pater ad actus ſublimiores monet, ſtimulat &c. quis non uideat hunc odioſum patriſuturum, ſi obaudit, nec obedit? Sic & in uia Dei euocat nos ad actus ſublimiores, ſed ocio torpentes negligimus, & cum perſici

poſſemus, nolumus ex electione, ſecundum hoc dicit beatus Bern. In uia Dei non progredi, regredi eſt, Lapis ſiquidē in altum proiectus, dum ſuo impetu non pellitur, ſuſum proprio pondere deſcendit. Et ita dum impetu ſpiritus non tendimus ſuſum in Deum, deſcimus pondere carnis deſcendendo. Ad qđ nos noſtri corporis figura inſtruit. Siquidem, nihil organorum retro, ſed ante poſuit natura ſagax, ut in uirtutibus ſemper procedentes, non retrocedētes, creſcamus. In hac ergo mutabilitatis regione ſtare non poſſumus, aut progrediamur ad uitam, aut regredimur ad miſeriam, ſecundum qualitatem metis noſtræ. motiuam in nobis prædominantem.

Duplex eſt qualitas motiua corporum, leuitas. ſ. & grauitas. Ita pondus a nimæ ſecundum Auguſtinum in li. conſeſ. amor eſt. Eſt autem amor duplex ſecundum Aug. 14. de ciui. Dei. Amor. ſ. Dei, & amor ſui, qui fecerunt duas ciuitates. Cœleſtem, & terrenam. Ille quaſi leuis, animum ſemper ſuſum tollit, iſte deorſum premit. Et habent quaſi tranſmutationes circa idem ſubiectum, & quantum ille creſcit, tantum iſte decreſcit. Habet quilibet ſuum fomentum. Amor ſui fouetur carnalibus delectationibus, & terrenis oblectationibus. Extenditur autem hic amor ſui ad dilectionem omnium, que homo propter ſe diligit. Sic ſuo modo amor Dei ad amorem omnium, que propter Deum finaliter diliguntur ſe extendit. Amor Dei delectationibus ſpirituualibus inflammatur. Itaq; que vn̄um amorem fouet, alterum inſirmit. Hinc eſt illud Aug. Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro, & econuerſo. Qui ergo in uia Dei progredi uoluerit, & ſpiritus fancti igne repleari, oportet fugere conſolationem carnis, & mundi, quibus (ut dictum eſt) nutritur amor noſter, inſirmitur amor Dei. Hæc enim eſt natura ſpirituualis flammæ ſecundum Chryſ. ſuper Matt. ut nullam ſecum carnalium cupiditatum ardere patiat. Nec ideo minus caudē, quia modicæ, ac breues, ac præ

Duplex qualitas motiua corporū.